

tur optime mysterium incarnationis, in quo Verbum assumpsit naturam humanam reddendo illam non terminatam a se, sed terminatam ab alio quasi excludendo terminationem illam per hoc quod natura humana tracta fuit ad terminum, et totalitatem alterius tamquam si esset pars ejus, sicut videmus, quod ut aliqua linea, vel superficies, quæ erat terminata suis punctis ponatur sub alieno termino sufficit, quod uniatur, et continuetur cum altera, sic enim redditur tamquam pars ejus, ita Verbum divinum exclusit modum terminationis ab humana natura, reddendo illam tamquam partem Verbi, quod se habet ut persona totalis, et integra, et sic natura humanam amisit terminationem propriam, et alieno termino substantiali terminata est, de quo videri potest D. Thomas in III ad Anibalidum, dist. v, art. II ad III et opus. II, c. CCXI, neque aliud fuit Deum fieri hominem, quam naturam humanam, quæ de se integrali, et totali modo postulabat existere, utpote substantia, impediri a propria terminatione, et alteri, seu personæ uniri.

XXVII. Sed objicies: Si subsistentia est modus, ergo entitative, et realiter non distinguitur a substantia cuius est modus; ergo in humana natura mansit tota personalitas, et subsistentia creata entitative, et realiter licet non formaliter, quod valde durum videtur, et contrarium mysterio incarnationis, quia in Christo nullo modo est personalitas creata. Secundo, quia suppositum, et natura se habent ut includens, et inclusum, si quidem suppositum includit naturam, sicut compositum partem, ergo debent realiter, et non modaliter distingui, sicut alia, quæ se habent ut includens, et inclusum v. g. totum respectu formæ, vel materiæ; distinguitur enim totum

a qualibet parte realiter. Tertio, quia D. Thomas III p. q. IV, art. II, dicit: « Quod si persona præintelligeretur assumptioni oportet, quod corrumpatur per ipsam assumptionem, » et ibidem art. I ad III, inquit: « Quod Angelus præexistens non posset in unitatem Personæ divinæ assumi, nisi ejus personalitas destrueretur: » ergo personalitas est aliqua entitas realis, alioquin non destrueretur, sed maneret manente re cum qua identificatur. Item in I distinct. XXV quæst. art. I ad III dicit: « Quod in compositis natura habet realem differentiam ad personam, in quantum naturæ sit additio alicujus; » ergo differt tamquam res a re.

XXVIII. Ad primum respondetur, in Christo nihil personalitati creatæ manere, quia totus ille modus terminandi et subsistendi in se destruitur, et succedit alia terminatio subsistendi in alio, unde in formalitate modi nihil manet, licet maneat entitas, quæ erat radix talis modi, et cum qua identificatur modus. Neque est alia ratio definitionis modorum, quia quando unus modus succedit alteri, destruitur unus totaliter in entitate ipsa formali modi, sicut patet cum amittitur una figura, et succedit alia, unum ubi, et succedit aliud, et sic de aliis modis, neque est necesse, quod alio modo desinat personalitas, seu subsistentia propria humanæ naturæ, nisi eo modo desinat, quo una figura desinit adveniente alia, et unum ubi adveniente alio, licet entitas realis, cum qua identificantur, id est, a qua realitate aliqua non distinguitur, maneat.

XXIX. Ad secundum fatemur, quod suppositum, et natura se habent ut includens, et inclusum: sed ly includens potest dupliciter sumi. Primo, pro ipso toto quantum ad entitatem, et substantiam, et sic est com-

positum, et comparatur ad partem inclusam, ut realiter distinctam tamquam res a se ratione alterius partis adjuncte. Secundo, pro ipso toto quantum ad ipsum modum totalitatis, et ultimationis, et incommunicabilitatis, et sic est suppositum, et comparatur ad ipsam naturam tamquam modus superadditus non ut realiter distinctus. Itaque totum sumptum pro ipsa re composita ex partibus, et includens illas distinguitur ab una parte realiter ratione alterius inclusæ. Totum autem sumptum pro modo totalitatis, et ultimæ terminationis includit partes tamquam modus terminans non tamquam realitas distincta.

XXX. Ad ultimum dicitur quod personalitas propria posita assumptione ad alteram personam corrumpitur eo modo, quo modalis entitas corrumpi potest sicut vinum ubi corrumpitur alio adveniente, et una figura adveniente alia, non vero corrumpitur, ut realitas distincta. In ultimo autem loco D. Thomas loquitur de additione secundum rem non ex parte ipsius subsistentiæ, sed ex parte principiorum individuatum, a quibus causatur, et hæc in rebus materialibus aliquid realitatis ultra naturam superaddunt, scilicet materiam signatam. Vel secundo loquitur D. Thomas de reali differentia naturæ a persona non reali tamquam res a re, sed reali modali.

TERTIA DIFFICULTAS.

XXXI. Circa rationem D. Thomæ in hoc articulo tertio magna est difficultas, quia videtur expresse docere, quod in omni substantia carente materia non distinguitur suppositum a natura. Hæc enim sunt expressa verba D. Thomæ: « In his, quæ non sunt composita ex materia,

et forma, in quibus individuatio non est per materiam individuatum, sed ipsæ formæ per se individuatur, oportet, quod ipsæ formæ sint supposita subsistentia. Unde in eis non differt suppositum, et natura. » Ex quibus verbis aperte sequitur Angelos cum non sint compositi ex materia, et forma consequenter non differre in eis naturam, et suppositum: et tamen hujus oppositum certum est, et a D. Thoma assertum in quodlibet II, art. IV, tum quia dicit III parte, quæst. IV, art. I ad III quod Verbum potuit assumere naturam angelicam, sicut et humanam; ergo aperte supponit distingui in Angelis suppositum, et naturam, alias non posset illam assumere destructo supposito proprio.

XXXII. Propter hoc difficilis visa est doctrina hujus articuli, præsertim quia illam tradit D. Thomas aliis locis non solum loquendo generali modo de natura immateriali, sic enim possemus interpretari illum de natura omnino immateriali, qualis est actus purus, sed specialiter loquendo de Angelo dicit non distingui in eo suppositum, et naturam, ut in quæst. VII de potent. art. IV: « In Angelis, inquit, quodlibet suppositum est sua natura. » Et IV contra gent. c. LV ad IV, expresse docet: « Quod convenientius assumpta est humana natura, quam angelica, quia in homine aliud est natura, aliud persona, cum sit ex materia, et forma compositus, non autem in Angelo, quia immaterialis est. » Qui locus valde urget, neque admittit expositionem jam insinuatam, quod quando Div. Thomas non distinguit suppositum a natura in immaterialibus solum loquitur de natura immateriali, quæ est Deus, cum expresse loquatur in istis locis de Angelo. Nec solum loquitur de principiis individuationis, quæ cer-

tum est non distingui ab ipsa natura in Angelo, distinguuntur autem in naturis corporeis. Nam constat, quod loquitur expresse de ipsa personalitate, et subsistentia Angeli, si quidem loquitur de Angelo, ut assumptibili a Persona divina, negat autem assumi posse naturam angelicam, quia non distinguitur a supposito, ergo non loquitur de principiis individuationis, vel de ipsa individuazione naturæ, quia hæc assumptibilis est, sola autem personalitas est, quæ repugnat assumi tam in Angelis, quam in nobis.

XXXIII. Ex qua ponderatione rejicitur multorum auctorum solutio, qui existimant D. Thomam in præsentis quæstione, art. III, quando dicit non distingui in rebus immaterialibus naturam et suppositum loqui de principiis individuationis, ex quibus oritur subsistentia, quæ principia non distinguuntur in rebus immaterialibus ab ipsa forma, seu natura, distinguitur tamen a natura individuata ipsa subsistentia. Quam expositionem sequitur p. Suarez, disp. xxxiv met. sect. III, nu. xvii; Arrubal, hic disp. x, c. 1; Alvarez, III p. disp. III et sumitur ex Cajetano in præsentis, qui docet cum inquiritur an Deus sit sua natura, ly Deum non sumi pro persona, seu supposito, sed pro concreto individi communi tribus Personis. Cæterum hæc solutio non potest stare cum eo loco, quem citavimus ex quarto contra gentes ubi specialiter loquitur de natura angelica, quam dicit non esse assumptam, quia non distinguitur in ea suppositum, et natura sicut in homine, ergo non loquitur de principiis individuantibus, sed de ipsa subsistentia, quia hæc sola inassumptibilis est. Præterquam quod in præsentis expresse nominat suppositum, dicens quod non differunt suppositum, et natura in substantiis immaterialibus. Ergo

male explicatur de principio individuationis. Alias solutiones affert auctor tabulæ aureæ in concordantiis, dub. cxiv, quæ reducuntur ad diversas considerationes naturæ in concreto, et in abstracto, physice, metaphysice et logice, secundum constitutiva intrinseca, vel extrinseca, et secundum unam considerationem dicit distingui a supposito non secundum aliam, quæ ibi latius videri possunt.

XXXIV. Nos igitur ut ex ipsis D. Thomæ verbis mentem Div. Thomæ eliciamus supponimus, quod subsistentia non oritur ex natura secundum principia specifica, sed secundum principia individuantia, et singularia, unde subsistentia originative importat principia individuationis, formaliter vero est terminus, seu modus quidam afficiens naturam singularem, eamque complens, constat enim quod subsistentia est complementum, et terminus naturæ reddens illam incommunicabilem, et sic neque convenit naturæ in universali, sed in singulari, neque ut prædicatum quidditativum naturæ, quia tam quidditas secundum prædicata constitutiva, quam natura in universali communicabilitatem important. Et in Christo invenitur natura secundum omnia prædicata quidditativa, et secundum singularitatem, non tamen secundum subsistentiam. Quare Div. Thomas aliquando sumit suppositum, seu subsistentiam tantum formaliter pro ipso termino complente naturam, aliquando etiam pro principiis individuantibus, ex quibus originatur iste terminus subsistentiæ. Et quando loquitur primo modo docet distingui subsistentiam a natura etiam in rebus immaterialibus. Quando vero sumit subsistentiam simul cum principiis individuantibus docet non differre naturam, et suppositum in rebus

immaterialibus, bene tamen in rebus materialibus, in eo quod in illis principia individuationis non differunt ab ipsa forma, quæ per se redditur incommunicabilis; in istis vero superaddunt aliquid materiæ, ut reddatur individuans, et distinguens unum ab alio in eadem specie, ut in libro de generat. qu. IX declaratum est. Itaque in summa, suppositum aliquando sumitur formaliter, aliquando radicaliter, seu originative. Et in Angelis origo, seu radix suppositi non distinguitur a natura, bene tamen subsistentia ipsa formaliter, id est, terminus ipse ortus ex principiis individuantibus. In naturis autem materialibus non solum subsistentia formalis, sed etiam radicalis distinguitur a natura, quia principia individuantia, quæ sunt ejus radix aliquid superaddunt naturæ in rebus materialibus. In Deo autem nec radicaliter, nec formaliter suppositum distinguitur a natura, quia pertinet ad ejus quidditatem etiam in abstracto consideratam, a qua non distinguitur personalitas in re, sed solum secundum nostram considerationem.

XXXV. Et quod hæc sit legitima mens Div. Thomæ constat, quia in hac prima parte, quæst. xxix, articulo II ad III dicit: « Quod persona, seu hypostasis addunt supra rationem essentiæ principia individuantia, neque sunt idem in compositis ex materia, et forma, ut supradictum est cum de simplicitate divina ageretur. » Quod est in ista quæstione tertia, articulo tertio, ubi clare Div. Thomas se ipsum explicat, quod in ista quæstione locutus est de persona, seu supposito, ut includit principia individuantia, et non solum rationem termini completis, eamque comparat naturæ secundum conceptum quidditativum, ut antecedit principia individuantia, in quo conceptu na-

turæ solum agnoscit in Deo, non differre suppositum, et naturam, differre autem in reliquis creaturis, saltem quantum ad rationem termini, licet etiam in rebus materialibus differat quantum ad principia individuantia. Unde in III p. quæst. xvii, articulo I: « Natura, inquit, secundum se considerata prout in abstracto significatur non vere potest prædicari de supposito, seu persona nisi in Deo, in quo non differt quo est, et quod est, ut in prima parte est habitum. » Unde sensus Div. Thomæ in hoc loco primæ partis sic intelligitur, quod in Deo natura ipsa etiam in abstracto considerata non differt a supposito, et sic peculiari modo verificatur de Deo, quod non differt suppositum, et natura, quod de aliis creaturis etiam immaterialibus non verificatur, quia taliter non differt in Deo, quod de natura ipsa etiam in abstracto considerata prædicari potest. Revera tamen non negat D. Thomas in Angelis differre suppositum, et naturam a parte rei, ut in quodlibet II, articulo IV, ubi id ex professo disputat, et resolvit et III part. quæst. IV, articulo II ad III, ubi docet, quod non posset Angelus in unitate divinæ Personæ assumi, nisi personalitas ejus destrueretur, atque adeo supponit naturam angelicam posse assumi personalitate ejus destructa.

XXXVI. Quando ergo s. doctor affirmat in præsentis, quod in his, quæ non constant ex materia, et forma, non differt suppositum et natura, loquitur de supposito non solum formaliter pro ipso modo terminante, sed etiam radicaliter et originative, prout includit principia individuantia, sic enim res immateriales cum sint formæ simplices non habent aliquod totum resultans ex partibus, neque ipsam rationem individuationis, et separationis unius ab alio habent ex aliquo superaddito

ipsi constitutioni totius, quale est in rebus materialibus materia signata, seu de signata quantitate. Et ubicumque D. Thomas negat suppositum distingui realiter in Angelis loquitur de supposito non pro sola ipsa formali terminatione subsistentiæ, sed etiam radicaliter pro ipsa subsistentia, ut originata, et radicaliter in ipsis principiis individuantibus. Nec repugnat, quod ex aliqua natura, quæ est forma simplex, et non actus purus, sed includens aliquam potentialitatem, et consequenter habet dependentiam ab extrinseco, et ordinem ad accidentia, resultet modus aliquis distinctus a natura, quo reddatur subsistens terminative et formaliter, et licet careat materia physica non tamen careat potentialitate, quæ loco materiæ est in natura angelica, et sic semper verificatur, quod individuatio, seu suppositum desumitur a materia, vel ab aliquo loco materiæ scilicet ab ipsa natura, ut potentiali, id est, ut habilitatem fundans ad recipiendum, et standum. Testatur autem D. Thomas, in I, dist. xxxiv, quæst. I, articulo I: « Quod in illis in quibus est aliud essentia, quam suppositum, et hypostasis oportet, quod sit aliquid materiale per quod natura communis individuatur, et determinetur ad hoc singulare unde determinationem materiæ, vel alicujus, quod loco materiæ se habet, addit in creaturis hypostasis supra essentiam, et naturam. Unde non omnino ista in creaturis idem sunt. » Ubi cum s. doctor fateatur sufficere, non solum per materiam determinati naturam ad hypostasim, seu subsistentiam, sed etiam per aliquid, quod loco materiæ se habet, manifeste ponit in Angelis sufficiens principium ad distinguendum suppositum a natura; licet illud, quod loco materiæ se habet ad individuandum non dis-

tinguatur ab ipsa formâ, et natura.

XXXVII. Ad loca allata ex III contra gentes et quæst. VII de pot. respondetur, quod in illo loco contra gentes si D. Thomas sentiret non distingui omnino ipsam subsistentiam in Angelo, ut posset assumi, non diceret esse convenientius, quod assumeretur natura humana præ angelica, sed quod oppositum esset impossibile, scilicet angelicam assumere, non autem hoc dicit, sed solum, quod illud fuit convenientius ergo supponebat utrumque esse possibile, sicut de facto id asserit locis supra citatis præsertim III p. quæst. IV, articulo I ad III. Itaque solum affert majorem convenientiam ex parte naturæ humanæ, quia in ea distinguitur suppositum a natura etiam radicaliter, et in suo principio et ita convenientior apparet assumptio, ubi est major distinctio, saltem ex parte radicis, et principii, et sic tam in isto loco, quam in alio citato ex quæstione VII de potentia, et in quibuscumque aliis locis, ubi negat distinctionem inter suppositum, et naturam in rebus immaterialibus, loquitur de supposito radicaliter, et non solum formaliter, id est, prout ex parte principii individuationis se tenet, sicut si diceremus, quod passiones radicaliter sumptæ non distinguuntur a natura, bene tamen formaliter.

ARTICULUS II.

An subsistentia sit indivisibilis, et non composita, et susceptiva existentiae.

De istius difficultatibus egimus in quæstione VII physicorum. Ut autem breviter de illis agamus, prius ostendemus subsistentiam esse rationem suscipiendi existentiam, deinde de ejus indivisibilitate per

modum termini, quæ convenit omnibus subsistentiis agemus.

I. Igitur, quod subsistentia sit ratio suscipiendi existentiam, et ita quod prius conveniat naturæ, quam ejus existentia, indubitabile est in sententia D. Thomæ distinguentis existentiam ab essentia, et attribuentis illam supposito, tamquam existenti ut quod, ita quod subsistentia sit terminus naturæ primo, et per se, et antecederet ad existentiam. Quod ex duobus constare potest. Primo, quia subsistentia ex ipsa sua formali ratione intimior est naturæ, quam existentia, nam subsistentia causatur ex ipsa totalitate, seu incommunicabilitate, tamquam pertinens ad complementum ipsius substantiæ, et sic non est prædicatum ita contingens sicut existentia, quia existentia totaliter provenit ab extra scilicet ex ipsa actione agentis, ita quod ratio conveniendi est ipsa actio, quæ ponit rem extra causas, subsistentia vero habet fundamentum, et rationem conveniendi in ipsa natura, licet ut sit actu extra causas petat actionem agentis, nam substantia de se petit compleri complemento subsistentiæ, cum ex sua natura sit ens per se existens. Unde magis intrinsece, et per se, et per prius convenit ei subsistentia, quam quælibet passio, quæ est accidens, si quidem subsistentia non est in alio prædicamento a substantia, sed ad illud reducitur tamquam complementum, et modus ejus, prius autem est, et magis intimum substantiæ compleri in sua entitate substantiali quantum ad modum per se subsistendi, quam ipsis accidentibus, quæ sunt propriæ passiones adornari, et affici in ordine ad operandum, vel ad alia accidentalia officia, et tamen majorem connexionem habet substantia cum propriis passionibus, quam cum existentia, quia cum propriis passionibus

fundat connexionem necessariam, et æternæ veritatis; cum existentia autem non potest fundare talem connexionem, ergo si subsistentia prius, et intimius convenit, quam propriæ passiones, a fortiori prius, et intimius conveniet, quam existentia. Nec obstat, quod subsistentia potest removeri a natura, passiones autem non. Nam contra est, quia etiam propriæ passiones possunt separari, quantum ad actualem convenientiam licet semper, et necessario conveniant naturæ quantum ad aptitudinem, et eodem modo propria subsistentia licet actu non conveniat humanitati Christi, habent tamen intrinsecam aptitudinem ad illam. Et sicut in quantitate prius intelligitur terminatio per indivisibile unde resultat figura, quam inhærentia actualis, manet enim in eucharistia quantitas terminata, et non inhærens, ita in substantia prius est esse terminatam per propriam subsistentiam, quam actu existentem. Itaque subsistentia immediate resultat ex ipsa unione partium in quantum constituunt totum, et ex ipsa individuatione substantiæ, quatenus substantialis est, quia ejus complementum, et terminus est; existentia autem non resultat ex ipsa intrinseca ratione substantiæ, vel individuatione illius, sed solum ex actione agentis, quia existentia constituit rem in facto esse extra causas, ergo ratio conveniendi magis intima est in subsistentia, quam in existentia, ut dictum est.

II. Secundo, hoc desumitur ex D. Thoma qui perpetuo docet existentiam non convenire naturæ, nisi medio supposito, ita quod licet natura sit principium quo, tamen non redditur capax recipiendi existentiam ut quod nisi sit suppositata, ut videri potest apud Div. Thomam quodlib. IX, art. III, et III part. quæst.